



**Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 2. Desumpta ex cap. 2. libelli Ruth, in quo describitur: quomodo Ruth ad imperium Booz relictas à messoribus collegerit spicas, & ab eo perhumaniter habita sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

vel tantum in se boni habeat, quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si medium plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc plangimus criminosa. Christiane Lector! examina mores vitamque tuam: nonne deprehendis in te aliquid reperiri, quod talis querelæ causa existat? quot juramenta & blasphemiae fluunt de ore tuo? quam sæpe avaritiâ vietus denegas misericordiæ opera pauperibus? nonne crebrò audiris cum pusillorum scandalô verba obscœna loqui? & quam exigua tibi in Templis devotione atque reverentia? quam frequenter durantibûs sacrî ibidem garris,rides, circumspicis, impertinentia legis, animo tuô nullibi minus, quam in loco sacro versans? Nummi coronati Regni Portugalliae licet in se contineant sculptam Crucem & figuram Vulnerum Christi, non tamen ideo plus valoris habent, quin potius omnî monetâ viliores sunt, utpote metalli vissimi. Sic etsi te signes in Templo signo Crucis, etsi deferas Rosarium, & alia exerceas Christiani indicia, non inde devotus bonusque haberis. Metuendum planè: Ecclesiam, quæ tam amarî lacrymis tuos aliorumque filiorum suorum perditos deflet mores, cum Sponso suo Christo in interitu vestro aliquando risuram esse. Quare ne id cum irreparabili damno cogaris experiri, dole, & emenda.

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 2. libelli Ruth, in quo describitur: quomodo Ruth ad imperium Booz relicta à messoribus collegerit spicas, & ab eo perhumana ter habita sit.*

Considera: **A** Dolescentem aut puellam Christianam, quæ à vanis N. 237. mundi deliciis ad statum religiosæ vitæ inspirante Deo vocata, vocanti obsequi nititur, residuas vitæ suæ spicas cum fructu collectura, & repositura in horreum æternitatis, idem experiri à Christo, quod Ruth Moabitæ experta est à Booz: Illam enim per sanctas Inspirationes Christus alloquitur verbis Scripturæ v. 8. citati cap. Audi filia, ne vadas ad alterum agrum, h. e. licet caro, Mundus & Dæmon per blanditias suas avertere te moliantur à sacro proposito, ne acquiescas eis, sed constans permansura, jungere puerilis meis, & ubi messuerunt sequere. V. 9. ut reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cuius consugisti alas. V. 12. & 13.

T t 2

cita-

citati cap. Si que contigerit: pueram talem vel adolescentem gravium temptationum astu initi Noviatus tempore vexari, aderit ei pariter Christus, cum Booz afferens v. 14. ejusdem cap. Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Hoc est: offero tibi præsentissimum inter furentes concupiscentia ardores remedium, Panis Eucharisti buccellam, cum memoria passionis meæ sumendam. Manna, ut docuere præcedentia, existit figura Sacramenti Eucharistia, sed Manna speciem referebat Coriandri albi, habentis hanc proprietatem teste Plini lib. 2. quod comminutum acetoque impositum in summo astatis calore carnem præserves à putredine. Haud secus divinum illud Manna, quod Christus astuanti animæ porrigit, aceto amarissimæ passionis intinctum, ipsam à putredine consensus in tentationem Diaboli & carnis præservat. Hoc optimè perspectum habens S. Bonavent. in cap. 6. Joan. ait: si qui astum patitur, ad hunc venias fontem, & refrigeret astum: etenim incentiva omnia mitigat. Id ipsum Chrysost. confirmare volens, ad effectus, quos fons aquæ gelida in extremis Phæbi ardoribus viatori afferit, sese reflectit, atque hoc Altaris Sacramentum vivo & frigido fonti assimilans, ait homil. 45. in Joan. si quis astuat ad hunc fontem se conferat, & recreabitur, mundat squatores & sordes, astus mitigat non solares, sed quos ignita sagitta imprinunt: & quam felices igitur sunt homines illi, erga quos divinus Booz se tam sollicitum & beneficium exhibit. Si eorum de numero es Christiane Lector, refer debitas illi grates tantisque gratiis per conformem tuæ Regulæ vitam cooperari stude.

### Doctrina 3.

*Desumpta ex capitibus residuis hujus libelli, in quibus describitur liberalitas Booz erga Ruth, & initum Matrimonium.*

N. 238.

Considera, & admirare: quod Booz erga Ruth Moabitidem se tam benevolum demonstrans, ut eam noluerit vacuam redire domum, plus tamen teste S. Scripturæ cap. 3. v. 15. mensus non sit, & posuerit super eam, quam sex modios hordei. Videtur plane hoc factò parsimoniam suam, magis, quam liberalitatem probasse. Verum dubio nostro occurrit Abulensis, responso ad moralem Doctrinam peraccommodò, dicens q. 32. ea de causa illi plus non obtulisse, quod credi-